



# HOMILIÆ IN ECCLE- SIASTEM.

## CAPUT I.

VER. 1. *Verba Ecclesiastæ filii Davidis, regis,  
Jeruschalaimis.*

**I**N hoc Libro duo consideranda sunt:  
1. Definitio, quæ est Titulus Libri, si-  
ve inscriptio. 2. Libri ipsius partitio.  
Tituli hic usus & finis est, ut conciliata atq;  
excitata auditoris seu lectoris attentione,  
eandem ad extremum usq; libri sustentet &  
tueatur. Quo facto, ut Dei studium in nos ad  
se colligendi ardens & incensum: sic nostra  
ad salutarem doctrinam accipiendum tardi-  
tas & animi aversio innotescit. Deberet enim  
nos in attenta hujus libri consideratione  
abundè satis retinere, quòd à Spiritu sancto  
dictatus sit, quemcunq; scribam & amanuen-  
sem adhibuisset. Tantum enim thesaurum  
& tam pretiosum carbunculum testaceo aut  
figulino vase nobis afferens, non sine summa  
stultitia parvi facere, nedum repudiare fas  
est: aureo verò, & exquisito opere exsculpto  
vase inclusum aspernari, extremæ est demen-  
tiæ. Tametsi enim homines universim vasa  
testacea